



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 79. Legati contra quorundam Præsulum in loquendo temeritatem
questi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

„cum eo lolium admisceatur; nam quæ-
 „storum opera multis nosocomiis con-
 „salitur, aliisque piis locis, & con-
 „scientiæ plurimorum hominum rele-
 „vantur, quibus nimis grave foret Ro-
 „mam adire, ut a Pontifice absolvan-
 „tur: cum ergo in Conciliis Latera-
 „nensi, Viennensi, & Lugdunensi hæc
 „incommoda fuissent perspecta, illis
 „consultum est, coercito, non extincto
 „quæstorum munere. Ceterum Legati
 proposuerunt tanquam mediam viam,
 ut prohiberentur quæstores, promul-
 gare indulgentias, eleemosynas cor-
 radere, aut quidquam aliud exequi,
 si non Ordinarios, vel alius ab illo
 designatus comitaretur, ita tamen, ut
 hujusmodi sociis quæcunque lucri
 communicatio interdicatur.

§. LXXIX.

*Legati contra quorundam Præsulum
 in loquendo temeritatem
 questi.*

Hac Congregatione finita, una omnes *Sarpinus*
 ad suas quisque ædes sese recepe-
 runt, exceptis Legatis, ac quibusdam
 Episcopis, qui dicta, atque hucusque
 gesta recolentes querebantur de auda-
 cia quorundam Præsulum cum immo-
 dica licentia altercantium, necnon de
 quibusdam Theologis, qui prolixis dis-
Hist. Eccles. Tom. XLV. L ser-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

fertationibus temporis plus æquo absumunt, de rebus nihili digladiantes, & ineptias sæpe confectantes: id si porro facere pergant, Synodum nunquam desituram querebantur, ac insuper fore periculum, ne gliscente audacia res in deterius vergant. Verum Joannes Baptista Castellus Synodi Promotor, qui hoc eodem munere in Concilio sub Julio Pontifice fungebatur, suggestit, quod Cardinalis Crescentius tunc Præsules, quoties evagabantur extra rem propositam, interpellare solitus fuisset, suumque sermonem, abrumperere coegisset, aut saltem, ut suas orationes, si prolixiores fuissent, contraherent, præcepisset, imo interdum etiam silentium illis indixisset: jam inquit Castellus, si id una, alternave vice a Legatis nunc fiat, sine dubio negotia Synodalia promptius forent absolvenda, & occasiones ea, quæ ad rem minus pertinent, proferendi abscinderentur. Promotoris consilium Cardinali Hosio Synodi Legato minus probabatur, hinc palam edicebat, mirum non esse, quod Deus optimus maximus prioris Concilii progressum minime secundarit, cujus dirigendi rationem adeo sinistram Crescentius secutus sit, cum tamen Concilio Christiano libertate nihil sit utilius, magisque

que necessarium: equidem Concilia au- Sæcul. XVI.
 reis illis sæculis celebrata non raro ab A. C. 1562.
 ipso eorum exordio etiam coram Im-
 peratoribus, qui tum temporis erant
 potentissimi, contentionibus, ac discor-
 diis notabantur, quæ tamen Spiritus
 Sancti auspiciis in admirabilem concor-
 diam se mutarunt: nam acres fuerunt
 in Concilio Nicæno, prout etiam Ephe-
 sino contentiones, idcirco mirum videri
 non debet, si in Tridentina Synodo oc-
 currant nonnunquam inter Patres opi-
 niones diversæ, Deo omnia permittente,
 qui potens est Concilia ad suam gloriam
 regere, animosque omnium in nomine
 suo congregatorum ad libitum mode-
 rari. Cardinalis Mantuanus hanc sui
 focii sententiam probabat, rejecta a-
 gendi ratione, quam olim Crescentius
 tenuerat: addebat nihilominus, quod
 Synodi libertati minime derogaretur, si
 abusus Decretis corrigantur, atque
 Ordo, tempusque loquendi præscriba-
 tur, sua cuique parte tributa: id quo-
 que placuit Hosio, atque inter ambos
 convenit, ut Sessione peracta hac de
 re decretum conderetur.

§. LXXX.

*Cæsarei, Gallique prorogandæ Sessio-
 nis spe frustrati*

Die decima quarta Julii matutino tem- *Tarpins l. c.*
 pore habebatur congregatio, at-

L 2

que